DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PULMONITIDE.

DISPUTATIO MEDICA.

PULMONITIDE.

1184 b 9
6

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PULMONITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,
Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PERSES PHELAN,
HIBERNUS;
SOCIET. MED. HIB. EDIN. SOC. EXTR. ATQUE PRÆS. ANN.

——————————Pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes paſcitur artus. OVID.

Ad diem 25 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1798.

43
10. 10.
256

GULIELMO KISSANE,

DE SKALEHEEN,

IN COMITATU TIPPERARIENSI,

ARMIGERO;

NECNON

DOMINICO BURKE,

DE KILLIMUR,

IN COMITATU GALIVENSI,

ARMIGERO;

HOC OPUSCULUM,

STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA OBSERVANTIA,

DICAT

AUCTOR.

GULIELMO KISSANE,

DE SRALENEEN,

IN COMITATU TIPPERARIENSI,

ARMIGERO;

NECNON

DOMINICO BURKE,

DE KILLIMUR,

IN COMITATU GALIVENSI,

ARMIGERO;

HOC OPUSCULUM,

STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA OBSERVANTIA,

DICAT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PULMONITIDE.

Homines ad Deos nulla re propius accedunt quam
ſalutem hominibus dando.

CICERO.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PULMONITIDE.

AUCTORE PERSE PHELAN.

PULMONUM, et membranæ, pleuræ dictæ, eos cingentis, affectiones inflammatorias varie diviſerunt ſcriptores medici, ob varias quas rebantur inflammationis ſedes; et inde genera ejus diverſa conficta ſunt, ſecundum diverſas partes affectas. Quum ſubſtantiam ipſam pulmonum, ſeu parenchyma, uti appellatur, morbi ſedem eſſe ſuſpicati ſunt, huic *peripneumoniæ* nomen indiderunt: quum vero pleuram coſtas interne contegentem ſolam affectam crediderunt, *pleuritidem* nuncuparunt.

Nonnulli etiam inflammationem pleuræ, diaphragma ſuperius obducentis, utpote ſymptomata quædam ſibi ipſi propria, delirium ſcilicet, riſum ſardonicum, et alios motus convulſivos, habentem, *paraphrenitidem* dixerunt. Has autem opiniones, de ſede et differentia horum morborum, male fundatas, et quidem diverſis ſpeciebus nullum eſſe locum, experientiâ multâ docemur. Cadavera enim inciſa, inflammationem habere nullam certam ſedem, ſed totam pleuram, latiore ſenſu, ut etiam ſubſtantiam pulmonum occupare, ſatis ſuperque demonſtrant; vel, ut ait Boerhaavius ill. "Nulla "eſt pars integumentorum interni thoracis, "quam non aggreditur; tota ergo pleura, to-"tumque mediaſtinum, hinc anterior, poſte-"rior, dextra, ſiniſtra, ſuperior, inferior, exte-"rior, profundior pars æque obſidetur hoc malo: "ſed imprimis latera." Quinetiam hæ diverſæ morbi ſpecies ab iiſdem cauſis proficiſcuntur, affinitate maxima connectuntur, ſymptomata ſæpe communia habent, gradu ſaltem differen-

tia

tia, et eandem medendi methodum requirunt. Talis ergo diviſio nulli uſui inſervire poſſit. His igitur rationibus adductus, omnem inflammationem, pulmonum ipſorum, ut et pleuræ, per totum ejus tractum, ſub uno nomine comprehendere vellem; et tum ob rei naturam, tum etiam ob analogiam, ad hanc affectionem exprimendam terminum *pulmonitidem* omnibus aliis antepono; qui aptè cel. CULLENI verbis ſic definiatur. " Pyrexia, dolor in quadam thoracis " parte, reſpiratio difficilis, tuſſis." In hac definitione, præcipua hujus morbi phænomena accuratiſſime enumerantur; de quorum ſingulis paulò fuſiùs, et de hiſtoria morbi pleniùs, diſſerere aggrediar.

HISTORIA MORBI.

IN omnibus fere regionibus, in frigidis verò ac temperatis frequentius quam in calidis, hic morbus graſſari conſueſcit: et quidem in nonnullis adeo increbeſcit locis, et tam late per

populum vagatur, ut ibi per contagium communicari à quibuſdam ſuſpicaretur. Ut ex regionum diverſitate, ſic etiam ex vario anni tempore hujus morbi inſultus pendere videtur; nam quamvis hyeme, et ineunte vere, maxime frequens ſit, nihil tamen obſtat, quo minus in ullâ anni tempeſtate, quæ vices ſuas ſubito variat, impetus ejus perferatur. Statim ab initio, ut plurimum, fit frigoris ſenſus, cum rigore et horrore, quæ brevi calor, anxietas, inquietudo, ſitis et alia pyrexiæ ſymptomata excipiunt. Nonnunquam autem dolor, in quadam thoracis parte, antequam ſigna, quæ pyrexiam rite indicent, fuerint aggreſſa, ſentitur; ſed plerumque uno eodemque tempore ambo ægrum invadunt. Dolor modo levis vel nullus eſt; modo profundus et obtuſus, cum præcordiorum totiuſque pectoris pondere et diſtenſione; modo fit admodum pungens et acutus. Dolor etiam varie in diverſis thoracis partibus ſentitur; nunc in latere, nunc ſub ſterno, aliquando inter ſcapulas, vel ſub claviculis,

vel

vel etiam ſub coſtis ſpuriis in hypochondrio dextro, adeo ut ab dolore ex hepatitide vix dignoſci queat. In hunc modum, aliis alias partes, pleriſque autem alterutrum latus, ſiniſtrum vel dextrum, occupat. Plerumque in uno loco fixus manet, ſed nunc ad claviculam, nunc ad ſcapulam, nunc ad ſternum propagatur; et haud raro ab altero ad alterum latus, progrediente præſertim morbo, migrat, ac locum prius affectum omnino relinquit. Præ cæteris verò circa mediam ſextæ ſeptimæve, alterutrius lateris, coſtæ longitudinem, vel paulo anterius, ſedem uſitatiſſimè habet; præcipue quum pungens admodumque acutus eſt. Interea lingua areſcit, et primùm flavo quodam colore inficitur; poſtea viſcido obducitur muco; nigricat demum, et quandoque in ſulcos dehiſcit. Hæc comitantur cibi faſtidium, aëris atque potus frigidi deſiderium. Vomitus aliquando, aut vomendi cupiditas vexat. Urina primo tenuis, multa, aquoſa, poſtea autem pauca, craſſa, et rubra redditur. Arteriarum ictus

in

in pleriſque exemplis frequentes, celeres, l peni, validi, duri et ſerrati, in nonnullis verò caſibus, molles, debiles, et irregulares obſervantur: at vero per morbi decurſum admodum variant; recente enim morbo, exiles, aliquando contracti, tardi, et parum celeres, ſed, ſanguine detracto, pleniores, validiores, et frequentiores evadunt. Reſpiratio, inter ſpirandum, maxime difficilis, brevis, celer, et penè ſuffocans eſt; ita ut æger ſæpe erecta cervice ſpiritum ducere cogatur. Decubitus in latus affectum aliquando admodum dolet; contrarium vero haud raro accidit, et æger in latus affectum, etiam cum aliquo doloris levamine, cubare poteſt. Decubitus in dorſum plerumque commodior eſt: nonnunquam autem in neutrum latus, neque in dorſum, decumbere valet ægrotans, ſed trunco corporis erecto, aut inclinato, ut ſedeat neceſſe: etiam in hac poſitura ægre ſpirat, qui ſtatus orthopnœa nuncupatur; et nunc in maximo diſcrimine verſatur. Hunc morbum ſemper fere comitatur tuſſis brevis, moleſta, dolorem

rem maxime intendens, et ſub initio præſertim morbi ſicca, vel cum ſputo pauco, ſpumoſo, tenui, crudo, interdum cruento aut ſtriis ſanguineis variegato: progrediente vero morbo, humida, cum uberiori et faciliori materiei magis craſſæ, et coctæ, excreatione. Sputum autem, quoad colorem, ſpiſſitudinem, et quantitatem, multum variat; nunc coloris expers, nunc opacum, nunc albidum, nunc flavidum, nunc cruentum, modo tenuius, modo craſſius, modo in magna quantitate expuitur; et modo ſubito ſupprimitur, quod ſemper malum portendit. Facies ſemper in hoc morbo anxietatis ſummæ ſpeciem præ ſe fert; tuſſi vero et dyſpnœa urgentibus, tumeſcit et colore purpureo imbuitur. Oculi languent, lachrymatione ſuffunduntur, et quaſi velo obtenebrantur. Caput fæpe ab initio, dolore tendente, præcipue circa verticem, tentatur; et rebus in pejus ruentibus, delirium, nonnunquam coma, inſtat; extrema frigent, labia et ungues livent; frons et collum ſudore viſcido et frigido madeſcunt; pulſus frequen-

tes,

tes, debiles, parvi, obſcuri, et irregulares evadunt; et nunc ſanguinis effuſio in pulmones ſcenam claudit.

RATIO SYMPTOMATUM.

Dolor modo levis vel nullus, &c. Hi diverſi doloris gradus oriri viderentur, tum ex varia violentia morbi, tum etiam ex varia ejus ſede. Nulli dubium erit quin hic, ſicut plurimi alii morbi, quandoque lentis paſſibus obrepat; ita ut quædam aliæ ſenſationes moleſtæ dyſpnœa gravis putà, dolore magis ægroti attentionem extorqueant: et inde parum aut nihil ab illo de dolore conqueſtum iri. Hujuſce vero rei præcipua cauſa pendet ex inflammationes ſede; nam in omnibus phlegmaſiis doloris immanitas ſequitur rationem denſitatis et tenſionis partis affectæ; hinc in membranis firmis et tenſis inflammatis dolor importuniſſimus et vix tolerabilis; quoniam ibi major fit vaſorum diſtenſioni renixus. At è contrariò

in

in partibus laxis et cellulosis levior est dolor, vasis ibi facile distensionem et actionem auctam perferentibus. Rebus ita constitutis, etiam ex doloris gradu sedem morbi satis accurate forsan colligere licet: quum enim graviter excruciat, pleuram, qua multum tenditur, lædi nullus dubito. Quum vero obtusus, profundus, vel levis sentitur, conjicerem substantiam ipsam pulmonum laxam, cellulosam, minus renitentem, malè affici. Revera autem variæ doloris modificationes sese manifestant, quoniam plures partes structuræ vel tensionis admodum diversæ unà vel successivè afficiantur. Ex hoc eodem ratio etiam petenda est, quamobrem dolor usitatiùs sentiatur circa mediam longitudinem costæ sextæ vel septimæ, quoniam ibi costæ inter spirandum maxime moventur, et a se invicem distrahuntur; unde pleura in pari ratione tenditur, ut etiam vellicatur et irritatur. Status pulsuum multum connectitur cum dolore; et in iis varietates similitèr explicari possint. *Respiratio difficilis maxime in-*

ter ſpirandum, &c. Reſpiratio, pulmonum et partium eos cingentium, motum requirit; dolorem ergo nequit quin intendat. Præterea, quoniam nunc pulmones turgent ob humorum affluxum, capacitas vaſorum aëriferorum minuetur; et exinde reſpiratio fiet brevis, et etiam magis ſub inſpirationem moleſta; quippe diſtenſionem antea incommodam tunc temporis adaugens. Ex præmiſſis quoque explicatu facile, quo modo dolor, nunc intenditur, nunc minuitur, varia inter decumbendum poſitura; a qua major vel minor motus coſtarum, ut etiam preſſura pulmonum, præter ſolitum turgentium. Dolor, ſed præcipùe infarctio pulmonum, vel ex congeſtione in vaſis, vel ex effuſione ſanguinis aut ſeri, in cauſa eſt, quare æger aliquando corpore inclinato ſedere cogatur; quia ſic, abdominis muſculis reſolutis, diaphragmatis deſcenſui favetur; unde anhelanti facilior fit reſpiratio. Faciei inflatio, cum delirio, &c. pendent ex difficili per pulmones ſanguinis tranſmiſſione; unde in capite congeſtio

ſtio ſanguinis venoſi, et forſan effuſio ſeroſa. Livor vultûs, et pulſus irregularis oriuntur ex aëre, ſanguini in pulmonibus, uti ſolebat, non applicato; unde nec lividum colorem amittit ſanguis, nec amplius cordi juſto eſt ſtimulo.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ pulmonitidis remotæ, ſicut cujuſvis aliûs morbi, dividuntur in *prædiſponentes et occaſionales*: de quibus ſigillatim paucis expediam. Quum quidam mortales præ cæteris huic morbo opportuni obſervantur, neceſſe eſt, ut quædam extitiſſent cauſæ, quæ in his morbo quaſi ſeminium diderint; et hæ uſitatè *cauſæ prædiſponentes* nominatæ ſunt. Hæ autem cauſæ manifeſtè ſunt eruendæ, ex aliqua peculiaritate in ſexu, ætate, habitu corporis, temperamento, vivendi ratione, morbis prægreſſis, vel demum in regione qua degimus. In omni ſexu, in virili vero frequentiùs, quam in ſexu ſequiori, in omni etiam ætate, ſed raro ante pubertatem, hunc morbum invenire eſt. Validi,

robuſti, et fibris rigidis præditi, debilibus et laxis, magis proclives obſervantur. Temperamentum quoque ſanguineum, ut in morbum incidatur, multùm conferre videretur; nam, Sydenhamo teſte, "temperamento ſanguineo "præditos, præ reliquis, aggreditur, ſæpe "etiam ruſticos, et duro jam fractos membra "labore." Diatheſis phlogiſtica, quâ viâ cunque inducta, ſive victu lautiore, ſive potu meraciore, ſive profluviis excretionibuſve ſolitis imminutis aut ſuppreſſis, ſive vita ignava aut ſedentaria, huic morbo imprimis viam ſternit. Conformationem inſuper pravam thoracis, pulmones et vaſa eorum coarctando, ſanguinis impetu a quapiam cauſa præter ſolitum adaucto, congeſtionem, quæ inflammationi anſam præbeat, efficere ut credamus inducimur. Morbi quidam prægreſſi ad pulmonitidem inducendam magnopere valent; vel pulmones nimis relaxando, et eos inde congeſtionibus opportuniores reddendo, vel ſpatium, quo ſanguis circumvehi ſolebat, anguſtando; illi ſunt catarrhus

gravis

gravis, rubeola, variola, et præcipue morbus ipſe; hi autem tumores quidam indurati, quæ tubercula fere appellantur. Quod ad regionem attinet, ſupra diximus. Hæ autem cauſæ nunc memoratæ, vix aut ne vix quidem ipſæ, pulmonitidem inducere capaces creduntur: ut aliæ ergo cauſæ conſpirent neceſſe; quæ exinde *cauſæ excitantes* audiunt. Ex his frigus corporis ſuperficiei applicatum, vel perſpirationem cohibendo, et etiam interiora verſus humorum determinatione, congeſtionem in pulmonibus efficiendo, vel forſan nexu illo ſingulari, explicatu autem difficili, pulmones inter et ſummam cutem, unde evenit, ut hæc functiones ſuas alternent, pro cauſa uſitatiſſima pulmonitidis haberi ſolet. Frigus autem in corpus humanum imprimis agit, ſi cum humiditate admotum, et quoque ſi eodem tempore corpus calefiat, vel magis etiam, ſi ſudore madeſcat. Exercitatio nimia pulmonum ipſorum, ut altiùs loquendo, vel cantando, vel muſices inſtrumenta, ſive diutiùs, ſive vehementiùs, ore inflando,

inflando, hunc morbum haud raro excitat. Inhalatio vaporum acrium, ut fumorum arſenici, ſulphuris, acidorum mineralium, pulmones ſtimulando inflammationem eorum moveat. Denique injuriæ externæ, ſive coſtás frangendo, et cavitatem thoracis imminuendo, ſive pleuram aut pulmones quomodocunqne irritando, pro cauſa pulmonitidis jure habendæ ſunt. His a ſcriptoribus medicis annumerari ſolet metaſtaſis quædam morborum, ſeu affectionum aliarum partium, quæ, an exiſtit cauſa, nunc haud immerito forſan dubitatur.

TERMINATIONES MORBI

Variæ ſunt. Reſolutione, ſuppuratione, vel gangræna, huic cum aliis phlegmaſiis terminare commune eſt. Eſt vero alia terminatio, pulmonitidi propria, effuſio nempe ſanguinis, vel ſeri, vaſculis ſive ruptis ſive reſolutis, in textum celluloſum, ſive in bronchiorum cellas: de harum ſingulis perpauca dicenda. *Reſolutione* terminari

terminari dicitur inflammatio; ſi morbus, parte affecta integra manente, tollatur. Pulmonum inflammatio, ſine aliquo profluvio, vel ſine remediorum applicatione, raro ſolvitur; profuſio ſanguinis è naribus, vel è vaſis hæmorrhoidalibus, primis morbi diebus occurrens, phlogiſticam diatheſim totius corporis tollendo, hunc morbum ſæpe finivit; ſæpius autem morbi ſolutionem comitatur, vel potius efficit, ſudor calidus, copioſus, et toto corpore diffluens. Omnium vero profluviorum, ad reſolutionem creandam, efficaciſſima mihi videtur, humoris albidi, ſubflavi, ſanguine tincti, ſine tuſſi gravi, expectoratio. *Suppuratio* incidit, vel cum impetus ſanguinis adeo adaugetur, ut vaſcula exhalantia dilatentur, ac ſerum integrum effundant: Seroſitas autem hujus liquoris effuſi facile reſorbetur, parte vero glutinoſa, quam vaſa abſorbentia imbibere non valebant, ſtagnante, poſtmodum in humorem albidum, opacum, viſcidumque, quod pus appellatur, convertitur: vel

ſecundum

ſecundum nonnullos, cum actio vaſorum partis affectæ talem ſubit modificationem, ut jam, officio proprio omiſſo, puris ſecretioni inſerviant. Suppurationem futuram indicant inflammationis ſymptomata, per unam alteramve hebdomadam haud gravia perſtantia, et remediis, ſi ullis, applicatis, non cedentia: jam factam autem denunciant doloris remiſſio, perſtantibus dyſpnœa et tuſſi, pulſus frequens, parvus et debilis, ſudor circa caput et cervicem promanans, horrores leves, gravitatis potius quam doloris in pectore ſenſus, exacerbationes veſpertinæ, et febris hectica. Hoc malum quidem, ſed non ſemper, lethale; nam materies vomicæ diſruptæ per varias ruat ſemitas. Si pulmones ob inflammationem, pleuræ coſtas contegenti, vel diaphragmati, fortè adhæſerint, pus vel foras exeat, vel in cavum abdominis irrumpat: Si vero nulla formetur adhæſio, vel in cavitatem thoracis, empyema conſtituens, vel in bronchia, ſuffocationem præſentem plerumque inducens, irruere

ruere ſolet. Aliquando autem, cum in bronchia vomica irruperit, pus expuitur, vomica ſanatur, et æger ex mortis faucibus redimitur. Si denique pus ob ſtagnationem acre evadens per vaſa reſorbentia in maſſam ſanguinis deferatur, morbus in phthiſim pulmonalem lethalem tranſit. *Gangrena* finiri dicitur inflammatio, vel cum humor in telam celluloſam effuſus, putrido aliquo fermento vitiatur, et ad putredinem abſolutam, per ſtagnationem et corporis calorem facilius inductam, ruit. Vel cum actio vaſorum nimia tonum eorum, ac etiam vitale principium deſtruit; unde fluida, in iis ſtagnantia, fermentationem putridam ſubeant: et per hanc mutationem, quomodocunque inductam, adeo acria evadunt, ut telam cellularem corrodant, ac etiam vaſa hæmatophera; quod mox ſequitur effuſio ſanguinis lethalis. Gangrena vero pulmonum inflammatio raro finitur; quæ ſi unquam accidat, ab effuſione vix diſſociabilis, ſaltem nullis ſymptomatis diſcernenda, maturè ſemper exitio eſt. *Effuſio*, vel

ſanguinis, vel humoris ſeroſi, in telam cellulo-ſam pulmonum, aut in bronchia ipſa, ut ex ſectione cadaverum ſatis patet, vaſa aërifera comprimendo ſeu implendo, et circuitum ſanguinis ſiſtendo, ægrotum ſuffocatione ſubitâ è medio tollit; et pro cauſa frequentiſſima pulmonitidis fatalis terminationis jure habita eſt. Denique, ex ſuperficie pleuræ inflammatæ fit quandoque exudatio; quæ partim viſcida, tenax facta, adhæſionibus tam ſæpe cadaverum ſectione repertis, fundamenta jacit: partim liquoris tenuis et ſeroſi ſpeciem præ ſe ferens, et in thoracis cavitate accumulata, efficit ut in hydrothoracem aliquando deſinat pulmonitis.

DIAGNOSIS

Pulmonitidem inter et omnes alios morbos qui eam referunt, hepatitide excepta, facilis videtur: quippe quoniam uterque morbus ab eadem cauſa nonnunquam oritur, et ſigna quædam,

quædam, pyrexiam ſcilicet, dolorem lateris et tuſſim, ſibi invicem communia habet, plures medici alterum ab altero vix dignoſci poſſe jure forſan contendunt. Lateris tamen dolor in hepatitide, preſſu externo auctus, et ad clavículam et ſummum dextri humeri plerumque ſentitus, decubitus in latus ſiniſtrum maxime difficilis, tuſſis ſemper fere ſicca, reſpiratio ſatis commoda, vomitus plerumque et ſingultus, hunc morbum a pulmonitide diſcriminare ſufficient. Carditis, quam ſyncope, palpitatio, et pulſus arteriarum irregulares, ſemper ferè comitantur, dignotu facilis videtur. Gaſtritidem vomitus, epigaſtrii dolor preſſu auctus, et ſingultus, ab ea diſtinguunt. In aſthmate, neque febris antecedens nec comitans. Dolores muſculorum intercoſtalium, ex rheumatiſmo orientes, cui malo nomen pleurodyne inditum, ſatis deſignant pars affecta tactu dolens, tumor et rubor externus, et præcipue, ſi dolores rheumatici in aliis corporis partibus præceſſerint, vel nulla, vel ſine ſputis. A pulmonitide mor-

bum, quæ peripneumonia notha dicitur, dignoſcere operam navabant ſcriptores medici; ſed tali diſtinctioni nullus eſt locus, ut mihi videtur; quoniam hæc illius varietas eſſe appareret, gradu ſolummodo differens, eadem remedia in minore tantum gradu requirens, quippe ætate provectos ut plurimum afficiens, et catarrhum ſæpe excipiens.

PROGNOSIS.

Quum eventum hujus morbi prædicere neceſſe eſt, ad ſignorum præcipuorum ſtatum, pyrexiæ ſcilicet, tuſſis, ſpiritus difficilis, et doloris lateris, maxima attentione reſpicere medicum oportet: pyrexia enim vehemens periculum ſemper ſecum affert. Maximum quoque portendit malum ſpiritus difficilis, et adeo ingraveſcens, ut neque in neutrum latus, neque in tergum, ſed trunco corporis erecto aut inclinato, ægrotus cubare poſſit; peſſimum vero, cum in hac etiam poſitura corporis ſpirandi vix poteſtas;

poteſtas; hunc ſtatum comitantur, facies turgida et livida, ſudor parcus, viſcidus, capite et cervice promanans, et pulſus irregulares. Tuſſis gravis, frequens, ſicca, dolorem intendens, morbi vix ad reſolutionem tendentis indicium eſt. Dolor acutus morbum gravem indicat; et dolor obtuſus, dyſpnœa gravi ſtipatus, effuſionis jam factæ ſignum, graviorem morbi ſtatum indicat. Dilirium denique, affectionem cerebri oſtendens, in maximo diſcrimine ægrum verſari prænunciat. Si autem ſymptomata nunc memorata leniora ſint, ſi ad remedia idonea maturè decurſum fuerit, ſi denique corpori alioquin ſano et valido morbus occurrerit, fauſtum felicemque eventum promittere liceat. His omnibus rite perpenſis, eventum futurum prædicere medico ſagaci haud difficile erit.

CURATIO.

CURATIO.

In hoc morbo præcipua medendi consilia sunt, 1mo, *Pyrexiam lenire;* 2do, *Inflammationem partis affectæ tollere;* 3tio, *Sputi excreationem expedire.* Ad duo priora consilia explenda, eadem remedia percommodè conspirant; quorum optima videntur sequentia. *Regimen antiphlogisticum*, quod in omni morbo acuto necessarium est, hìc imprimis utile. Hoc præcipùe in irritationibus corpori applicatis evitandis aut moderandis consistit. A calore externo, qui corpus maximè stimulat, summa industria cavendum: et contra frigoris admissionem in hoc morbo usui esse experientia nondum probatur. Cubiculi igitur temperies circa quinquagesimum quintum thermometri Fahrenheiteani gradum ægroto paranda est. Omnis exercitatio et corporis, pulmonum præcipue, ut ex locutione nimia, et animi vitanda est. Ab omni stimulantis alimenti genere, carne scilicet et ex-

ea

ea paratis, et a liquoribus ſpirituoſis et fermentatis abſtinendum. Alvus, quæ aſtricta haud parum ſtimulat, ſemper ſoluta tenenda. Siti quoque, ope diluentium modicè tepefactorum, additis, ſi ægro arrideat, acidis vegetalibus ad gratum acorem, occurrendum. *Sanguinis detractioni*, in primo hujus morbi ſtadio, maxime fidendum eſt. Quandoquidem arteriarum actio adaucta, quæ maximam hujus morbi partem conſtituit, ex tono, tonus ex tenſione, et tenſio ex quantitate fluidorum pendere videretur; cauſa in aprico eſt quare, ad arteriarum actionem imminuendam et morbi ſolutionem obtinendam, nec aliud æque efficax reperitur ac fluidorum quantitatis diminutio; quæ optime efficitur venæſectione; et ad hanc quamprimum decurrendum. Hìc autem in brachio felicius vena pertundetur. Quod ad ſanguinis quantitatem, una vice emittendam, attinet, nullam certam regulam ponere licet: ſed viribus, ætate, et quibus æger antea aſſueverat conſuetudinibus, nil obſtantibus, ad ſymptomatum

tomatum quoddam levamen detrahendus eſt. Emiſſio ab unciis duodecim ad uncias viginti quatuor plerumque ſufficiet. Æger ſemper ferè emiſſionem ſecundam multò meliùs quam primam ferre ſolet: quæ, ſi ſymptomata recurrant, et æque ac antea gravia ſint, poſtero vel etiam eodem die iteranda, et ſanguis etiam copioſius detrahendus eſt; niſi antea magna ſymptomatum remiſſio adſit. Ad modum, quo ſanguis emittendus, animum attendere medicum oportet, nam, quo magis ſubita detractio, eò efficacior erit. In pleno igitur rivo ſemper fluere permittatur; et in nonnullis caſibus ex ambobus brachiis, uno eodemque tempore, maximo cum fructu eliciatur. Nec etiam, quoad quantum in ſummam demendum quicquid certi ſtatui poteſt; cum morbus gradu et violentia adeo variet, conſtitutio quoque et habitus ægrotantium adeò differant. Adultus enim homo jacturam tutius et facilius tolerat iis, qui teneræ aut provectæ ætatis ſunt; robuſtior etiam et validior, graciliori et debi-

liori

liora, viri fæminis, plethoricus et ſanguineus tenui et atrabiliario, ſanguinis denique detractionibus antea aſſuetus inaſſueto. Sydenhamus teſtatur, ſe raro vidiſſe morbum in adultis, minori quam quadraginta circiter unciarum ſanguinis impenſa, ſanatum; et hæc videretur eſſe norma ejus. At ſi hunc præceptorem ſequamur, plures quidem ægros immaturæ morti trademus: in nonnullis enim caſibus dimidium hujus quantitatis ſufficiet; et contra ſæpe erit, ubi duplex et etiam triplex quantitas neceſſariò demenda: cujus rei exemplum in regio noſocomio Edinenſi, æſtate proxime elapſa, videre mihi contigit. Faber ferrarius, viginti et ſex circiter annos natus, labori multo aſſuetus, habitu corporis robuſto, pulmonitide gravi correptus eſt, et poſtero die in noſocomium admiſſus, ſeſe in curam Profeſſoris Gregorii tradidit. Ab hoc intra tres ab admiſſione ejus dies, unciæ nonaginta octo ſanguinis, quarum una vice unciæ triginta duæ, ſine deliquio animi maximo cum levamine ſymptomatum, detractæ fuere. Pridiè etiam, quam in no-

ſocomium receptus eſt, unciæ circiter octo emiſſæ: in toto unciæ centum et ſex demptæ: quo perfectam morbi ſolutionem intra paucos dies obtinuit. Quod ad menſuram igitur attinet, id omne ex judicio prudentis medici pendeat neceſſe. Cum vero gravia morbi ſymptomata cedunt liberæ ſanguinis detractioni, quamvis etiam ſæpius iteratæ, præſtantius forſan auxilium ægrotus ſibi comparet ſtando corpore erecto, dum ſanguis profluit; ut exinde leipothymia citiùs inducatur. Hæc enim inordinatam arteriarum actionem ſiſtet, et evacuationis nimis profuſæ, unde haud raro debilitas ægre ſublevanda, demeret neceſſitatem. Sed hoc periculum vix faciendum, ſi dyſpnœa gravis urgeat, aſphyxiæ lethalis metu. Hoc idem narcotica, ut digitalis, nicotiana et talia, utpote arteriarum actionem manifeſte imminuentia, præſtatura ſatis equidem probabile eſt: et cum iis periculum facere, aliis remediis nihil proficientibus, jure nobis liceat. Quum vires ægroti majorem ſanguinis jacturam ferre recuſent; et

dolor potius quam ſpiritus difficilis perſtat, ac ægrum potiſſimum vexat; tunc topica ſanguinis detractio, cucurbitulis cruentis et ſacrificatione, vel hirudinibus parti dolenti admotis, maximo uſui eſſe invenietur. *Epiſpaſtica*, poſt primam alteramve ſanguinis detractionem, ad partem dolentem quam proxime applicata, in hoc morbo proſunt: et etiam in nonnullis lenioribus caſibus curationem ſine ulla ſanguinis jactura efficiant. Si dolor et ſpirandi difficultas perſtiterint, fonticulus, ope unguenti pulveris cantharidum, ex parte veſicata fiat; vel potius veſicatoria iteranda ſint. *Cathartica*, ad phlogiſticam diatheſim tollendam, ſimilem effectum ac ſanguinis detractio, minore tantum gradu, præſtant. Sed uſus eorum in pulmonitide experientia non ſatis probatur; ab irritatione enim, quam canali alimentario dent, cavendum: ob motum quoque et niſum inter defidendum, qui dolores maxime intendunt, valde incommoda reperiuntur; neque ſubitam, quam morbi violentia poſtulat, depletionem efficerent.

ficerent. In primo quidem morbi ſtadio laxantia, leniora et refrigerantia utilia videntur; et per ejuſdem decurſum enemata emollientia ad alvi ſolutionem ſufficient. Quum vero ob quampiam cauſam ſanguinis in quantitate ſatis magna detrahi nequit, ſales neutri maximo cum fructu adhibeantur. *Refrigerantia*, ad hoc idem conſilium implendum, apta videntur. Horum præcipua ſunt acida diluta et ſales neutri. Ex acidis, vitriolicum et vegetabile maximo in uſu ſunt; hoc, quia liberiùs et copioſiùs dari poteſt, illi anteferendum. Ex ſalibus quoque, nitrum potiſſimum in uſu eſt. Ab his autem, ſi tuſſim moveant, abſtinendum. *Sudorifica*, quanquam in primis morbi diebus ſudor ſponte occurrens, reſolutionem nonnunquam promovet, tamen utpote inflammatoriam diatheſin augentia, cautè adhibenda ſunt. Quum autem, poſtquam ſymptomata gravia remiſerint, ſudor profluit ſponte, nec calore multo externo aut remediis ſtimulantibus inductus, tunc prudenter eliciendus eſt. Ad hoc conſi-

lium diluentia varia tepida, decoctum avenaceum ſcilicet, et hordeaceum, ſerum lactis, infuſum lini, &c. optima videntur? *Emetica* ſub initio morbi a Cleghornio, ad plenam vomitionem promovendam adhiberi ſolebant. Sed ab iis, ni niſus violentus inter vomendum congeſtionem et etiam effuſionem in pulmones efficiat, cautè abſtinendum. *Opiata*, in hoc morbo præcipue poſt ſanguinis detractionem maximo uſui eſſe inveniuntur; hæc dolores tuſſimque, quod non raro importuniſſimum eſt ſymptoma, pervigilium inducens, et dolores intendens, leniunt; nec ſputum, ut nonnulli putant, ſupprimunt, ſed potius promovent; et ergo ad 3*tium* conſilium, *Sputum expedire* ſcilicet, æque accommodantur. Præcipua autem remedia ſputum expedientia ſunt demulcentia, vel mucilaginoſa, vel oleoſa, quæ irritationem glottidis, tuſſim cientis, tollendi poteſtate gaudent. Inhalatio aquæ tepidæ vaporum, ſi tuſſim non moveat, magno uſui eſt. In nimia muci pulmonum viſciditate ſeu tenacitate

tate ſcilla et gummi ammoniacum a medicis multum prodeſſe putantur; ſed ſi ſigna febrilia adſint, quia nimis calefaciunt et ſtimulant, caute adhibenda ſunt.

Huic opuſculo finem imponere mens grata non prius permitteret, quam charo meo præceptori, MARSHALI CLARKE, apud oppidum TIPPERARIENSE, viro admodum reverendo, ſermone cultiſſimo, et pietate aliiſque privatis virtutibus inſigni, me maxima debere profitear; qui cura, benevolentia, et amicitia, me fovit, ſtudium medicinæ liberale colere haſque terras inviſere, ut ex puro fonte principia medendi hauriam, mihi enixe perſuaſit, animumque meum penſo tam difficili effinxit: ſed tali viro dignas et meritas perſolvere grates non noſtræ poteſtatis eſt.——Proſpere vivat, diuque floreat.

BRITISH MUSEUM